

B. N. II, 135.

IX 1880680

H. 34, 14.

2. D. B. V.



DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA,
DE

SOLICITATORIBUS
CAMERALIBUS,

vulgò,

Don denen Solicitanten an dem
Keyserl. Cammer-Bericht

Quam

Præside SS. TRIADE,

Ex auctoritate & decreto

ILLUSTRIS & EXCELLENTISSIMI

JCTORUM ORDINIS

in Alma LUDOVIGIANA,

PRO LICENTIA,

Summisq; in utroque jure honoribus ac privilegiis Doctoralibus
rite & solemniter consequendis

IN AUGUSTO JCTORUM AUDITORIO

Publico & solenni Procerum Academicorum examini
subjicit

GEORGIUS TOBIAS PISTORIUS,

Ulstadiò Francus.

Ad diem 29. Decembr. CIO MDC XCVII.

GISSÆ. HASSORUM, Typis Henningi Mülleri.





GENEROSISSIMIS
DOMINIS

DN. DIETERICO CHRISTOPHORO
à BARNER,

Equiti Megapolitano, Serenissimæ Juventuti Saxo-
Leucopetrææ à cubiculis.

DN. JOHANNI GEORGIO à BOYNEBURG,
Equiti Hafsô-Thuringo, Hereditario in Stettfeld
& Wichmannshausen &c.

DN. FRIDERICO BALDUINO à VOSS,
Equiti Gueſtphalo, Hereditario in Bœckel &c.

DN. LUDOVICO AUGUSTO à BOYNEBURG,
Equiti Hafsô-Thuringo, Hereditario in Stettfeld
& Wichmannshausen.

DN. CAROLO PHILIPPO à HANSTEIN,
Equiti Schaumburgico, Hereditario in Bœſen-
hausen.

Dominis meis Benevolentissimis,

Quorum studia in diversis literarum Emporiis Belgii æquæ
ac Germaniæ superioris curæ meæ commissa erant
& fidei, quosque tenerrimò prolixissimòque
etiamnum prosequor adfectu



*Hanc dissertationem inauguralem in benevolam
ephoriam exantlata recordationem*

dicat

Autor,





Præfatio.

U
 Uatuor anni sunt, & quod excur-
 rit, quando dissertationem ali-
 quam de *Ecclesia filia* conscribe-
 bam Halæ Magdeburgicæ, eam
 sub præsidio Viri Illustris ac Excellentissimi,
Domini Samuelis Strykii, Præceptoris per tri-
 ennium olim fidelissimi, & Patroni etiam-
 num jugiter devenerandi, inauguralis loco
 aliquando ventilaturus. Stabat sententia
 hucusque quoque immota, & ego ne per
 herculem quidem me inde passus fuisset di-
 moveri. Decorum enim erat flores ibi spar-
 gere, ubi decerpti erant atque collecti, &
 Præsidem habere eum, cujus instructissimæ
 bibliothecæ totum illud qualecunque opus-
 cuum acceptò habebam ferendum. Verùm
 enim verò sicut ego, quò minùs redire potue-
 rim

A

rim

rim Halam, fui præter spem omninò impeditus atque expectationem; ita quoque & mea dudum elaborata dissertatio sua habuit fata. Quæ omnia sicuti B. L. citra ipsius tædium edocere neutiquam possum: ita quoque vel invitus alii themati elaborando manum admovere coactus fui. An verò inter tantam materiarum segetem æquè bene nactus sim præsentem in illius locum, ipse nescio. Hoc certum est, me temporis penuriâ pressum, & instructâ quadam bibliothecâ destitutum, digniorem elaborandam minimè suscipere potuisse gentium, nisi quædam incongruè conglomerare & inde novæ disputationis centonem consuere maluissem. Vale B. L. & si labor displicet, cogita, quòd omnibus placere impossibile sit. Censoriam virgulam ut adhibeas, per me licet, dummodò à plagii literarii incusatione, quam non mereor, Tibi temperes. Iterum atque iterum vale!

Pars I.



Pars I.

Generalia Solicitorum Cameralium

exhibens.

§. I.

Vocabulum *Solicitor* descendit à ver- *Etymologia.*
bo *solicitare*, hoc verò à *solo* & *ciere*, vel
etiam, *citare*, compositum esse creditur.

Unde statim patet, quòd rectiùs scribatur
per simplex *l*, quàm per geminatum *ll*.
utpote quod à Poëtis syllabæ tantum producendæ ergò
introducendum esse videtur. *Confer Lexicographos.* Vox *Ca-*
meralis barbarum, nisi omnia me fallunt, adjectivum est,
& originem suam habet à substantivo *Camera*, hoc autem
sine dubio natales suos debet Græciæ. Sed quoniam
ejusmodi tricæ parum utilitatis habere videntur in foro,
vid. Illustris Dn. Stryckius in interesse Controv. p. 5. ideo ety-
mologiæ diu non immorabor otiosus. Paucula hæc di-
xisse, sufficiat, ne præceptum Ulpiani in *l. 1. ff. de Just. & J.*
nobis suggestum, planè negligere videar.

II.

Sicuti pauca omninò sunt vocabula, quæ plura non *Homonymia.*
significant, *Dn. Adrianus Beier, Antecessor apud Tenenses me-*
ritissimus in Log. Jurid. L. 3. c. 3. §. 2. ita quoque voces *Ca-*
mera & *solicitor* suas patiuntur æquivocationes. De illa
vid. Almers Man. Jur. sub voce: Camera n. 6. p. m. 150. Blum.
in Process. Cam. t. 3. §. 2. Add. Lex. Jurid. Calvinii sub eadem voc.
Hoc locò id tantum velim notes, quod *Camera* καὶ ἐξουχίη
denotet supremum illud imperii iudicium, quod à divo

A 2

Max. I.

Max. I. A. salutis 1495. 7. Augusti institutum Dn. Coccejus in *Jurispublici prud. c. 32. p. 451.* deinde huc atque illuc translatum, vid. *Beliz Process. Cam. Tab. 5. p. 14. & in idea Jur. Publ. tab. 10. p. 29. Roding. ff. Cam. L. 1. t. 2. §. 2. seq. Blumius d. l. t. 4. §. 3. seqq.* & tandem injuriâ Bellonæ Wetzlariam migrare coactum, dieque 15. Maj. st. v. 1693. primâ vice ibi habitum est. *Conf. Dn. D. Hoffmanni fata cameraria Responsis ab ipso editis annexa.* Unde autem Camera nomen suum sit sortita, vid. *Blumius d. l. t. 3. §. 1. & t. 4. §. 1.* De hac verò observa, quòd sollicitator (1) propriè idem sit ac ille, qui suò locò aliquid movet, vid. *Donat. ad Terent. in Heaut. A. 3. Sc. 1. ibi: omnes habui sollicitos. Add. Lex. Calv. sub voce: sollicitare.* (2) Impropriè sumatur pro eo, qui angit, inquietat. *Calvinus d. l.* (3) Conveniat cum eo, qui instat & velut allicit ostendendo necessitatem causæ, eandemque curat, qui suadendo impellit, urget, interpellat, vel pro se vel pro alio, *der da antreibet/anreget/poussiret/mahnet/anhält/Erinnerung thut.* Unde Galli quoque dicunt: *Solliciter une affaire, eine Sache treiben.* Et sicut tam in malam sumitur partem, vid. *l. 1. ff. d. Extra. ord. Crim. & Prissonius de V. S. sub hac voce, ut & Calvinus in Lex. Jurid. d. l.* Add. *Schardius sub eadem voce, quàm in bonam, ita quoque hæc posterior significatio tantum hujus loci est,*

III.

Synonymis.

Sollicitatores dicuntur C. quoque mandatarii, ablegati, *Anwälte/Geschickte/Abgeordnete/Blum. in Proc. Cam. t. 22. n. 2. p. m. 80. Almers Man. Jur. sub voce: camera n. 10. p. m. 80. it. Solicitanten/Antreiber/Anreger/Gallicè, Solliciteurs de proces,*

IV.

IV.

Et sunt vel mandatō speciali instructi vel illō desti- *Divisio.*
tuti. Isti, si à Principibus missi sunt, plerumque habent
litteras credentiales, lettres de creance, creditiv - oder
Credenz-Schreiben/ & interdum gaudent nomine, **der**
Residenten/ de quibus infra plura. (2) Vel sunt ma-
triculæ Camerae Imperialis inserti, vel non inserti. (3) Vel
solicitant in rem suam vel alienam. (4) Vel in una cau-
sa, vel in pluribus. (5) Vel domicilium suum habent in
eo loco, ubi Camera Imperialis est, vel alibi, & per bre-
vem tantum temporis intercapedinem ibi commorari so-
lent. De quarum distinctionum effectu infra plurius
agendum nobis erit.

V.

Definitio, vel potius describo sollicitatorem, quòd *Definitio.*
sit persona cameralis, facultatem habens causam in came-
ra urgendi, ut eò celerius illa expediatur. Dixi (1) quòd
sit persona, quatenus nimirum vox hæc non sumitur juri-
dicè denotatq; caput aliquod civile, servis exclusis, non!
sed prout philosophicè quodvis subjectum humanum
per illam indigitari, & consequenter servus quoque com-
prehendi solet, conf. *Brissonus de V. S. sub voce: persona.*
(2) quòd sit persona cameralis, in largiori nimirum signi-
ficatione hæc acceptâ voce, & prout latè complectitur
litigantes eorundemque mandatarios, vid. *Almers Man.*
Jur. sub voce: camera. 10. p. m. 89. & *Blumius in Processu Cam.*
2. 22. §. 2. p. m. 80. Reliqua verba in definitione expressa
respiciunt partim formam, partim materiam, partim qq.
finem. Longè aliter describit sollicitatorem *Magenhorst*
in Observ. Cam. 79.

Pars II.

Originem & causas Solicitatorum Cameralium exhibens.

§. I.

Origo.

Quandoquidem id perfectum dici solet, quod ex omnibus suis constat partibus l. i. ff. de O. 7. cujusque autem rei potissima pars principium est *ibid*: ideo ne manca nostra evadat disputatio, aut illotis planè manibus protinus rem ipsam videamur tractare, pauca de origine cameralium solicitatorum in medium proferemus. Illos non antiquiores esse camerâ ipsâ in propatulo est. An autem sollicitatio nec antea in aliis obtinuerit judiciis, id sicuti nostrum non ferit scopum, ita quoque illud libenter facimus missum, visuri tantum de origine Cameralium Solicitatorum. In ordinatione Camerali de Anno 1500. sub rubrica: **Wo Cammer-Richter und Beysitzer zu Kost gehen mögen/** quoniam jam tùm mentio fit solicitatorum, ideo referimus eorum initium ad hæc circiter tempora, cum primis, quia procul dubio ab eo tempore, quò multitudo causarum in Camera crescere cœpit, sollicitantes quoque cœperunt mitti. Istud autem contigisse adhuc ante Annum millesimum quingentesimum, clarè satis patet ex ejusdem ordinationis rubrica: **Von viel und häuffung der Sachen.** Et quamvis in *Ord. Cam. de A. 1499. sub tit. Wo das Cammer-Bericht gehalten werden soll /* aliquid dispositum reperiatur, von denen **Anwälden und Geschickten/** attamen dubito, an isti mandatarii sollicitationis causa ab initio statim fuerint missi, sivè, an ibi, ut sollicitatores fuerint considerati. Quod
sita-

si tamen ita esset, dicendum foret, quòd sollicitatores **Ca-**
merales ferè cum ipsò **Camerali** **Judicio** esse cœperint.

II.

Ex quibus suâ ferè sponte fluit, quòd multitudo *Causa effi-*
 causarum sit sollicitatorum causa efficiens. Putat qui- *ciens.*
 dem non nullus, quasi negligentia Adsefforum haud pa-
 rum hic adscribendum veniat. Sed enim, quia de hoc
 certinihil mihi invenire licuit; ideò illud tanquam o-
 diosum aliis defendendum relinquo. Sicut autem hæc
 intelligenda sunt de causa efficiente remota, ita proxima
 est ipse constituens sollicitatorem, vel, si secundum *Me-*
taph. Hartungii c. 7. §. 29. philosophari velimus, consensus
 actualis constituentis & constituti. Quod si verò ipse
 litigans sollicitat, causa proxima est ipsius propria volun-
 tas.

III.

Materia est vel objectiva vel subjectiva. Illa com- *Subje-*
 munitur objectum, hæc verò subjectum audit, & est vel *ctum pas-*
 activum vel passivum. *Hartung. d. l. c. 9. n. 12. pag. 335.* Pri- *sivum.*
 mo de passivo, sive de illis, apud quos sollicitari debet.
 Pertinet huc Judex, cum Præsilibus atque Adsefforibus.
 Distributio actorum petitur à Judice, *Blumius in Processu*
Cam. tit. 75. num. 21. it. tit. 5. n. 12. qui hodiè est, *Reveren-*
dissimus Princeps ac Dominus, Dn. Johannes Hugo, Archi-Epi-
scopus Trevirensis, & S. R. I. Elector, vel, eò absente; illa soli-
 citatur apud Præsides. Horum quidem, uti notum est,
 quatuor esse debent, sed mortuò nuper admodum *Dn.*
Carolò Ferdinandò, Comite de Manderscheid, unicus *Illustrissi-*
mus Dominus Johannes Anthonius, Comes de Leiningen, hodiè
Camerae præsides. Expeditio verò decretorum & sen-
 tentiarum urgenda magis est apud *Dn. Assessores,* quàm
 eorum Præsides, præviâ tamen distributione, de qua in-
 fra

frà plura dicentur. Pro cautela nota, quòd, si ad dies aliquot protrahatur decretum, Notarius, cui supplicatio exhibita, interpellandus, ut apud Dominum Referentem pro maturando decreto instet, ejusque expeditionem urgeat. *Schvannemannus in Processu Cam. L. 1. c. 1. n. 17.* Quod si nihilo minus istud non sequatur, potest aliqua supplicatio pro maturando decreto in Senatu exhiberi, & ejus expeditio propter imminens moræ periculum instantissimè urgeri. Et hæc supplicatio ita debet esse formata, ut ei inscribatur causa, nomina partium & dies factæ exhibitionis. Vid. *Decret. Comm. de A. 1550. d. 28. Nov. §. fin.* Sed notanter subjicit *Schvannemannus d. l. Parcè his utendum, ut ne, quem admonere studeas, commoveas aliquando.* Quoniam autem valdè tædiosum est ad singulorum Dnn. Assessorum percurrere fores, eosque infestare; hinc sollicitatores vulpinantur egregiè, quando eminus subolfacere student, in quonam Senatu sententia vel decretum expediendum veniat. De hoc enim quando ipsis constat, supersedere se posse putant illâ molestiâ. Verùm enim verò sicuti Referentem neminem nosse oportet: Ita quoque ejusmodi curiositas & cupiditas cognoscendi ea, quæ cognosci non debent, rectè interdicta est. Interdum etiam apud Electorem Moguntinum sollicitatio locum habere potest; quando nimirum revisio petenda, conf. *Blumius in Proc. Cam. t. 79. §. 13.* Quid? quod etiam apud Procuratores, ut non nunquam interponatur sollicitatio, opus est, cum hi causas interdum protelent, & studiò processûs retardent.

IV.

Subje-
ctum a-
ctivum.

Missò subjectò passivò pergimus ad activum. De hoc sequentem notabis regulam: quicumque desiderio suo

suo exponendo sufficiens est, ille quoque (cæteris paribus) in Camera sollicitare poterit. Ratio, quia sollicitatio est de genere permissorum, & hinc à quolibet expediri potest, quàm diu specialilege non prohibetur. Illud enim permitti dicitur, quod jure, lege vel à Principe permittitur. *Brissonius de V. S. sub voce, permittere p. m. 1540.* Memini equidem, dubitasse aliquem, an sollicitatio esset actus permissus, ea propter, quia tacitè sic Dni Assessores viderentur argui alicujus negligentia. Enimverò cui rectè constat de habitu illustrium horum justitiæ Antistitum, ille facile concedet, hoc frustra planè (minimum hodiè) urgeri. Eorum saltem novem sunt, cùm tamen 50. esse deberent per *instr. Pac. art. 5. §. prætereà cum & Recess. Imp. d. A. 1654. §. Demnach auch. Conf. Schwederi Jus Publ. Part. Spec. Sect. I. cap. 1. 3. §. 5. p. 454. seq. Coccejus in Juris publici Prud. c. 32. §. 4. & causæ subinde augentur.* Sicut autem pro illis, quæ instantè urgentur, præsumptio est, quod earum mora sit cum periculo conjuncta, ita meritò citiùs quoque expediuntur, non quasi hanc sollicitatione non factà nihil egissent Dnn. Assessores, non! Sed quia aliam causam expedivissent. Sollicitant ergò fœminæ æque atque masculi, pauperes & divites, periti & imperiti, nobiles & ignobiles, Judæi ac Christiani, incolæ ac peregrini, graduati & non graduati, filii & patres, majores & minores, liber & servus, Advocati, Procuratores, horumque scribæ &c. Prohibentur è contrario (1) Notarii, ut ne scil. sollicitent pro illis, quibus officii ratione tanquam Notarii fuerunt adhibiti *Sammer-Concept P. I. t. 52. §. penult. Ord. Cam. d. A. 1548. & 1555. P. I. t. 39. Blumius in Process. Cam. t. 65. §. 52.* Ratio in dicta ordinatione adjicitur hæc: quia id ipsum vergit in præjudicium

B

atque

De
derio
suo

etque damnum partium. Quid autem, si aliquis Notariorum legem hanc violaret, & non obstante eâ, in causa quadam prohibita sollicitaret? Responderetur: reus fieret pœnæ à Carolo V. in edicto, quod A. 1548. d. 7. Aug. Augustæ Vindelicorum emanavit, expressæ, & consequenter præter Cæsaream imperiiq; indignationem, incurreret pœnam quatuor marcarum auri puri. *Conf. Blum. d. l. & Conceptum d. l.* ubi ab initio statim illud edictum impressum extat. Quantum autem valore exæquet marca auri puri, *vid. B. Dni Antonii Henrici Mollenbecii, Antecessoris quondam apud Giessenses celeberrimi Divis. Jurid. cen. 3. div. 74. in addit. n. 9. p. m. 623.* (2) Prohibentur & arcentur à sollicitatura Procuratores munere suô à Camera privati per *Decretum Com. d. A. 1686. d. 28. Jan.* ubi aliquod quoque extat præjudicium. (3) Advocati, itidem ab officio advocatiæ remoti per *idem Decretum d. l.* Puto tamen utrumque casum restringendum esse ad terminos ibi expressos. (4) Clerici, quatenus nimirum sic impediuntur, quò minus recte suô fungi possint munere ecclesiasticò, arg. eorum quæ habet *Schilter. in Inst. Jur. Can. L. 1. t. 18. §. 12. p. m. 130.* Ergò à contrario sensu (à quo argumentum, observatis certis cautionibus, utique ducere licet *Everhard. à Middelburg. in Loc. Legal. p. 862. seqq. Add. Dn. Struvius in Tract. Jur. Feud. c. 1. n. 5. pag. 44.*) prona est consequentia, quòd, si hoc non fiat, utique sollicitare queant. E. G. Quare aliquis minister Ecclesiæ, qui propter Wetzlarensem urbem habitat, interdum isthuc venire ac in causa propria vel aliena sollicitare non potis sit, rationem non video. Aliud esset, si ibi velle per aliquam temporis commorari intercapedinem: Sic enim utique repellendus foret, cum sic suum negligeret officium.

officium, nisi jam jam illô vacaret, uti ministri exules. Nec obstat, quod dicas: constantem tamen Canonistarum esse doctrinam, quòd clerici lites prosequi non debeant, *cap. 1. ff. ne clerici vel monachi ibidemque Andreas Valbensis in Paratitlis Jur. Can. Brunnem. de Jure Eccles. L. 1. memb. 10. cap. 6. §. 8. ibidemque illustr. Dn. Strykius in Addit.* Nam Resp. præterquam quod sollicitatio sit actus extrajudicialis, insuper clericis interesse judiciis, etiam in causis secularibus, hodiè simpliciter interdictum non est. *Vide B. Ziegleri Tract. de Diaconis & Diaconissis cap. 13. §. 50. 51. & in Commentario ad Inst. Jur. Can. Lancelloti L. 3. t. 2. §. 5. Regis: atqui tamen clericis, rebus secularibus sese immiscere, Sacrà Scripturâ prohibitum est 1. ad Timoth. 3. v. 8. 2. ad Timoth. 2. v. 4. Add. Schilteri Instit. Jur. Can. L. 1. t. 17. §. 6. & t. 18. §. 12. Ungepauer ad tit. Decret. ne clerici vel monachi &c.* Sed ad hæc repono, quòd adeò latè & generaliter minime sint capienda gentium. Aliàs enim clerici à multis abstinere deberent, quæ tamen sine dubio licitè omninò expedire possunt. *Vid. Emanuel Gonzalez ad cap. ult. X. de vit. & honest. cleric.* Accedit quòd nulla lex specialis, clericos à sollicitatione arcens, hæctenus ostendi possit. Ubi autem lex silet, ibi præsumtio est pro permissione, quia ipsum silentium legis vice permissionis est. *Dn. Adrianus Beierus in Specimine suo Hermenevtico cap. 2. §. 5.* Quæ omnia tamen, uti dixi, eatenus tantum intellecta volo, quatenus sollicitatura non impedimento & noxæ est muneri ecclesiastico. (5) Absentes. Quamvis enim per epistolam satis quis sua animi explicare possit sensa; uti tamen plura reperuntur negotia, quæ ita omninò videntur esse comparata, ut per epistolam formam sui nequaquam recipere possint, *vid. Lauterbach. diss. de Epistola c. 5.*

§. 36. pag. m. 49. ita quoque rectè attendentes modum
 quò sollicitari debet, sollicitationem quoque suò modo
 isthuc referri posse existimamus. Quomodo enim quæso
 (ut reliqua omnia silentii involvam si pario) quis vult evi-
 tare omnis mali suspicionem, si literas ad hunc vel illum
 velit mittere Assessorem. Equidem hoc per se malum
 non est; sed quoniam non tantum id, quod per se malum
 est, sed & omnem mali fugere debemus suspicionem, et-
 iam ab hoc innoxius & fraudis expers sibi temperabit so-
 licitator. Apud singulos Assessores enim, uti notum est,
 sollicitandum venit, non apud hunc vel istum, nisi nos &
 Dominos Assessores reddere mallems suspectos. Ad sin-
 gulos verò Assessores toties mittere epistolas, quoties id ex
 usu est, vix fieri poterit. Et, si mittuntur, dubito, an recipi-
 antur, & si recipiuntur, non credo, quòd insignem produ-
 cturæ sint effectum. Puto enim & hîc obtinere illud Ger-
 manorû vulgatum, **wer was haben will muß selber kom-
 men.** Aliud est, si toti Collegio aliquod insinuetur me-
 moriale, de quo infra plura nobis dicenda erunt. (6)
 Meretrix, si nimirum notoriè talis sit, & criminis sui
 facilè convinci queat. Ratio est, quia ipsò jure sic ha-
 betur pro infami, *l. pen. ff. de his qui not. inf.* Sicut autem
 infamis neque jure can. neque camerale esse potest pro-
 curator, *Lauterbach in Compend. ff. tit. de Procur. pag. m. 68.*
 ita quoque nullus ambigo, quin ejusmodi foeminae, arte
 mercabiles, sollicitaturæ apud Dominos Assessores, tan-
 quam personas illustres, quibus omnis inhonestas valdè
 est exosa, minimè admittantur. Aliud est, quando de
 ejusmodi turpi ratione vivendi non satis constat: sic
 enim non puto, foeminam aliquam, citra insignem repelli
 posse injuriam, ut ut re forte vera ex quæstu vivat merce-
 tricio.



tricio. Unde quoque judæam aliquando fuisse toleratam, non obstante hoc, quod à Senatu oppidano contra eam exciperetur de vita impudica & minus honesta, res etiam tum notissima dicitur. Satis de materia subjectiva. Properamus ad objectivam.

V. De objecto talem notabis tibi regulam: Qui. *Objectum.* cunque actus causæ, quæ in Camera vel jam tum est, vel futura speratur aut metuitur, utilitatem promovet, ille constituit sollicitatorum cameralium objectum, sive sit actus judicialis, sive extrajudicialis modò sit licitus. Huc spectatactorum distributio. Quàm diu enim acta non sunt distributa, tam diu quoque omnis sollicitatio decretorum aut sententiarum inutilis erit ac frustranea, utut dudum in actis fuerit submissum. Ratio est, quia nullus Assessorum acta deposcere aut distribui petere, multò minus ad referendum sibi ipse sumere potest, *Concept. P. 1. t. 20. pr. Blamius in Processu Cam. t. 7. §. 71. p. m. 36.* Ratio rationis: quia sic statim in illa causa fieret suspectus. A quo autem petenda sit distributio, dixi supra §. 3. Nec tamen sufficit singulis diebus eam urgere apud Dnn. Præsides, sed antea investigare debet sollicitator, num acta completa quoque sint nec ne, quia aliàs à nullo Dnn. Assessorum ad referendum recipiuntur. Curet ergò cautus sollicitator ante omnia acta compleri per Notarios aut Lectores, *vid. Scipio in Comp. Jur. Cam. Imp. sub voce: actorum completio p. m. 419.* Hoc factò, & distributione demum subsequatà, caveat sedulò, ut ne acta in Lectoria maneant recondita, sed ut in ædes Domini Referentis transferantur: aliàs enim novâ ferè opus erit sollicitatione. Aliud tamen obtinet in processibus mandatorum, imprimis sine clausula: acta enim in his hinc inde ventilata regulari-

gulariter non opus habent distributione, cum pertineant ad mensam decretorum, *auff den Bescheidtisch* & hinc à quolibet ad referendum propriâ auctoritate sumi possint, dummodò completa sint & integra. Ubi obiter pro cautela observandum, quòd valdè utile sit causam aliquam legitimare posse, ut ita dicam, ad dictam mensam, quia sic citò expediri poterit. Sed hîc arte opus est & labore, cum illud facilè non permittatur. Memini tamen causam appellationis aliquando in decretorum mensa definitam esse, sed in puncto tantum non devolutionis. Denique nota, quòd, si acta, mensæ decretorum imposita, signò crucis fuerint notata, quærenda sit locò solitò eorum distributio. Quid verò, si illa obtentu admodum difficilis sit? Nullum efficacius hodiè supererit remedium, quàm ut quis ab Electore Trevirensi, ceu iudice camerali, impetret literas commendatitias eò, ubi opus est, directas: hæ enim indefessâ sollicitatione longè salubriores sunt. Id adhuc quærere è re erit, utrum distributio actorum sollicitari queat, utut adversarius veniam petere velit triplicandi? Et respondetur quòd praxi hoc omninò sit receptum, eapropter, quia non obstante distributione adhuc facultatem habet adversarius triplicandi. Sic potest cogi ad celerandam triplicam cavillans, qui alioquin eam in multos adhuc distulisset annos. Denique advertite, quòd, si causæ gravitas doceri rectè possit, distributio actorum extra ordinem h. e. extra diem publicationis obtineri queat. Sed hoc non nisi per difficile obtentu est. Deinde ad objectum sollicitatorum vi suprâ datæ regulæ pertinent literæ promotoriales, subsidiales juris, compais. *Brieff*/ citationes, compulsoriales, restitutio in integrum, sequestrum, inhibitiones, sal-
vus

vus conductus, mandata, denunciatoriales banni, executoriales, immissoriales, documenta absolutionis banni, commissiones, documenta confirmationis tutelæ vel curatelæ, monitorium, documenta renunciationis litis, omnia decreta alia & sententiæ, sive sint desertoriæ, sive non desertoriæ, sive devolutoria sive non devolutoria, sive definitivæ sive interlocutoria & actoria. De quibus omnibus in specie multa commemorare, quia res esset maximi laboris, huic autem vacare impræsentiarum minimè licet; ideò id tantum dixisse sufficiat, quòd, quemadmodum sollicitator unius partis in his impetrandis omnem omninò movet lapidem, ita è contrario adversarius omnia hæc impedire studeat, quamvis hoc casu non tam sollicitatoris quam potius remotoris, repressoris & interpellatoris nomen sibi vindicare queat. Quòd porò attinet modò dictam regulam velim illa, non adeò crudè & indistinctè accipiatur, sed restringatur ad actus permittos, nec extendatur ad prohibitos. Huc pertinet (1) inspectio protocolli procuratorii, siquidem exsertim prohibitum est in *Concepto P. I. t. 37. n. 6. & Recessu Imp. de A. 1566. §. als dann 93.* ut ne sollicitatores protocolli inspiciant præcuratorum, quia sic addiscunt partium arcana, *Concept. d. l. Blumius in Proc. Cam. t. 63. §. 9. t. 10. §. 25.* vel ut *Beliz* habet in *Process. Cam. tab. 4. p. m. 11. statim ab initio*: ut fraudi præscindatur via, de quo tamen dubito, an strictè observetur. Parili modò interdictum est, ut ne *Lectores Cam.* protocolli judicialia (quæ tantum pro judice & iudicio conficiuntur, vid. *Decret. commune d. 13. Dec. 1659. §. 9.* & differunt ab aliis protocolis, vid. *Almers Man. iur. sub voce: protocollium p. 1033. seqq.*) processus, sententias, documenta, & quæ alia sunt, sollicitatoribus præbeant.

beant inspicienda, multò minùs describenda per *decretum*
Comm. de A. 1659. §. 9. Conf. Beliz. d. l. Blumius in Process.
Camer. tit. 63. num. 10. Quod ipsum tamen non ex-
tendendum est ad casum summæ necessitatis per *dict. de-*
cret. d. A. 1659. d. l. & de A. 1660. d. 28. Jan. §. 6. Unde
quoque distinguit *Blumius c. l.* inter illos sollicitatores, qui
à suis principalibus mandatò instructi ad Cameram missi
sunt, istique mandatam suum exhibuerunt, & qui per-
petuò in loco iudicii degentes quæstus gratia multarum
causarum sollicitaturas ad se pertrahunt. Priori casu di-
cit protocolli & actorum inspectionem necessariam præ-
sente aliquò Lectore, utique concedendam esse, & qui-
dem, ut *Decretum Comm. d. A. 1660. 3. Mart.* hoc ulterius
declarat, *ante Lectoriam*; non igitur in Lectoria vel Can-
cellaria illud fieri debet. Idem obtinere puto, quando
ipsi litigantes sollicitant: his enim, *cum suis Procuratoribus*
actorum inspectionem necessariam petentibus, neuti-
quam hæc denegabitur. Notanter autem dixi, *cum suis*
Procuratoribus; nam si soli petant actorum inspectio-
nem non facile eam impetrabunt, nisi probè noti sint
Lectoribus. *Vid. Blumius t. 63. §. 10.* Dicis: quando au-
tem necessaria est illa actorum inspectio? Ut alios casus
brevitatis studio omittam, unicum tantum in scenam
producam. Notum est, quod acta prioris instantiæ sæ-
pius ad Cameram transmittantur manca atque mutila,
& rationes decidendi sententiæ pro victore ibi latæ ab il-
lis separentur, Ut igitur de integritate actorum con-
stet, sollicitatori opus est oculari inspectione, quo deinde
ulteriores compulsoriales impetrare possit à Camera ad
redintegrationem actorum mutilorum. Et hanc ocula-
rem inspectionem, legibus permissam, eo faciliùs obtine-
bit

bit sollicitator, quando communem illam, & omnibus
 ferè notam adhibebit cautionem. Posteriori verò casu,
 ubi nimirum mandatò sollicitator non est instructus, aut
 illud non exhibuit, vix conspicienda ipsi præbebuntur
 acta & protocolla, quandoquidem id interdictum depre-
 henditur, in *Dict. Dec. Com. d. l. Conf. Blum. d. l.* Et huc
 pertinent suo modò etiam ea, quæ *Magenhorst. Obs. Cam.*
 79. stylò omninò virulentò & maximè infestò scribit
 contra sollicitatores. Neque enim illa omnes indistinctè
 attinent, sed tantum eos, ut existimat quoque *Blumius*
in Proc. Cam. t. 63. §. 10. qui mandatò non sunt instructi,
 pluribus litigantibus suam elocant operam, & tamen cau-
 sas magis retardant, quàm promovent, quemadmodum
 ipse quoque *Magenhorst d. l.* sese explicat, subjiciens: *qui*
igitur sapiunt, abstinent à talibus (sollicitatoribus nimirum)
& ad causas suas in camera urgendas licita adhibent remedia:
Quin imò in Recessu imperii Comitiorum Augusta Vindel. celebra-
torum de A. 1566. expressè statutum est, quod talibus sollicitatori-
bus non sit danda à Procuratoribus vel horum substitutis inspicien-
di protocollis copia. Et quamvis dictus Recessus ita non di-
 stinguat; attamen ille interpretationem satis luculen-
 tam recipit ex modò allegatis *decretis communibus.* Quod-
 si hisce contraventum fuerit, & desuper conquerantur
 ipsi Procuratores, jus ipsis administrabitur per *Decr.*
Comm. de A. 1657. d. 28. Jan. §. 5. Qualem autem pœnam
 subire debeant contravenientes, ibi expressum non repe-
 ritur. (2) Sollicitatores non possunt urgere aliquam sen-
 tentiam in illis actis, ubi legitimè nondum fuit submissum
 per *Recess. Imp. d. A. 1654. §. als auch die Erfahrungheit*
 153. Quando enim legitimè non est submissum, & ta-
 men sententia aliqua sollicitatur, decenti & condignâ

C

exci-

excipiendi veniunt poenâ per *dict. Recess. d. l.* Legitimè autem tam diu submissum non est, quàm diu acta ad referendum non traduntur completa, vel etiam, quando planè in actis nondum fuit submissum per *dict. Recess. d. l.* Sed quantum mihi constat, nec hoc adeò curatè hodiè servatur praxi: *Add. Paulus Gambsius in Comment. ad dict. Recess. d. l. p. m. 647. seq.* Ratio, quare in actis non completis, prohibeatur sollicitatio, in aprico est. Nimirum quoniam secundum decantata principia juris sententia actis judicialibus consona debet esse & conveniens, acta autem non completa sunt acta imperfecta, exinde quoque non nisi imperfecta nasci potest sententia, quæ ipsò jure nulla est *arg. §. 8. Inst. quibus mod. test. infirm. Conf. Blamius in Proc. Cam. t. 73. §. 10.* ubi simul explicat, quid sit complere acta. *Add. ea quæ ab initio hujus dicta sunt §. Notet hoc niveò lapillò cautus sollicitator, ea propter, quia potest forte fortunâ incidere in aliquem Procuratorem, litem protrahere quàm promovere magis amantem. Hic non nisi difficulter acta curabit compleri, & potiùs dicet illa esse completa, utut sint adhuc mutila: sic enim neque illa distribuuntur, neque aliqua in eis potest ferri sententia, & per consequentiam causa protelatur, salarium verò ejus continuatur & omnis sollicitatio evadit frustranea. Nolim tamen hoc de omnibus exaudiri. Vitium unius non est imputandum universo ordini. (3) Dum objectum sollicitatorum suprâ restrinximus ad actus non prohibitos, tacitè jam tum exclusa dedimus illa omnia, quæ de jure civili sollicitari non debent. Pertinent huc v. g. testes, de quorum sollicitatione vid. *Hartm. Hartmanni Pract. For. L. 2. t. 15. ob. 16. n. 6.* nuptiæ alienæ &c. Quemadmodum enim omnibus in-*

terdi-

interdicta est alienarum nuptiarum sollicitatio; nisi reus
 quis fieri velit criminis extraordinarii *l. 1. pr. ff. d. Extraord.
 Crimin. & extra ordinem quoque puniri can. sollicitatores de
 pœnit. distinct. 1. Conf. Brunneinan. in Comment. ff. d. l. ita
 nec sollicitatores Camerales hîc aliquod ostendere pos-
 sunt privilegium, eos ab obligatione hujus legis moralis
 eximens. Annon autem sollicitatores camerales inter-
 dum de facto sint quoque alienarum nuptiarum sollicita-
 tores, me utique lateret. Quæ sub & obreptivè fiunt, ut
 ita loquar, Deocommissis annumeranda veniunt. (4)
 Denique extra eorum sphaeram esse debent consiliorum
 alienorum explorationes, impiarum cautelaram fabri-
 cationes arg. eorum, quæ habet *Parthenius legitiosus L. 1. c.
 9. §. 33.**

§. VI.

Proferimus pedem ad formam, tanquam nobilissi. *Forma.*
 mum ferè nostræ disputationis caput. Hæc concernit
 vel rationem constituendi sollicitatorem cameralem, vel
 sollicitationem ipsam. Quod illam attinet, ita habendum:
 aut sollicitat ipse litigans, aut constituit sibi sollicitatorem.
 Hoc casu indiget ad legitimam sui constitutionem soli-
 citator aliquò mandatò. Illò verò casu non, quia pro-
 priò jure facultatem sollicitandi habet, & facilè se legiti-
 mare potest. Nec est, ut aliquis dicat, illud absolutè non
 esse necessarium, quando quidem multi reperiantur, nul-
 lò mandatò in scriptis muniti. Præterquam enim, quòd
 secundum Leges camerales ita forte non deberet esse,
 claudicat tamen insuper & vacillat consequentia: Soli-
 citator hic non est instructus mandato scripto. E. nullum
 planè habet mandatù; ratio est, quia à remo-
 tione unius speciei non inferendum est ad remotionem
 omnium specierum. Datur enim adhuc mandatù ver-

bis vel factò expeditum, datur quoque præsumtum sive tacitum, quod in obeunda sollicitatura, tanquam causa extrajudiciali, utique sufficere potest. Sed aliud est, quando eò venit, ut probare quis debeat, se legitimè constitutum esse sollicitatorem, ut exemplum supra §. præced. allatum fuit. Hic hærebit ille, nec, quò se vertat, habebit. Ego vidi tale schema mandati cujusdam sollicitatoris, quod in gratiam eorum, qui extra cameram degunt, lubet hìc apponere: Ich N. N. bekenne Krafft dieses/daß wegen meiner an dem hochpreißlichen Cammer-Gericht zu Wezflar in unentschiedenen Rechten schwebenden Appellations Sache/ in puncto streitig gemachten Lehngeldes/ von der Stadt N. Herrn N. N. vor mich allda inständig zu sollicitiren/ und selbige nicht anders/ als seine eigene sich angelegen seyn zu lassen/ bevollmächtiget. Gestalt dann auch solches hiemit eigenhändig unterschrieben/ und mit Vordruckung meines gewöhnlichen Pitschafftes bestärcket. Gegeben N. den 1. Dec. 1697.

N. N.

Ex legitima constitutione, quomodocunque demum illa fiat, oritur facultas & potestas sollicitandi, tanquam forma sollicitatoris interna, *arg. eorum qua habet B. Dn. Lauterbach. in disput. de Nuncio c. 8. §. 1.* Quod formam concernit externam, attendendum, sollicitaturam rectè geri non posse, nisi sequentibus probè observatis. Nimirù præsuppositò hoc, quod sollicitatori constare debeat, quisnam adversarii sui sit procurator (ut ab hoc sibi sedulo possit cavere & ejus investigare consilia) requiritur (1) ut sollicitetur locò commodò, scil. vel in ædibus, Dnn. Judicis, Præsidentum atque Adfessorum, vel in plateis vel coram curia

ria camerali per *Decr. comm. d. A. 1659. d. 13. Dec. §. 8.*
 Videntur quidem ob stare sequentia ejusd. §. verba: *Vor
 der Rahtstuben mit Ueberreichung der Zetteln und son-
 sten hinführo enthalten.* At verba hæc explicanda sunt
 ex præcedentibus, des täglichen nach und überlauf-
 fens etc. ita, ut non tam sollicitatio dictis locis prorsus in-
 terdicta sit, quàm potius ejus abusus & ut ne quotidie
 Dnn. Assessores ibi inquietentur. Minimum praxis non
 refragatur. In judicio ipso memoriale aliquod pro matu-
 randa sententia exhibere minimè licet, adeò, ut, si hoc
 fiat, illud rejici soleat, sicuti d. 13. April. 1660. in causa
Baden / contra Kronenberg / factum esse refert *Blumius*
in Proc. Cam. t. 64. §. 73. Quando Advocati, Procura-
 tores, partes vel substituti sollicitandas habent copias
 sententiarum, vel aliud quid agendum in Cancellaria,
 cancellos transgredi non debent, sed ante eos stare ac
 animi desideria ibi exponere tenentur, ne arcana Can-
 cellariæ in præjudicium partium expiscentur & addi-
 scant, aut Cancellaristas in scribendo & aliis negotiis im-
 pediant *Concept. P. I. t. 36. num. 9. Ord. Cam. d. A. 1548. &
 1555. t. 24. §. penult. Schvannem. in Process. Camer. L. I.
 cap. I. n. 16. Add. Denarius sub voce: Lectores p. m. 177. n. 4.
 Blumius d. l. t. 10. §. 62.* (2) Tempore opportuno; quando
 autem illud sit opportunum, paucis dispiciendum. In
 distributione actorum mensis ultimus publicationem (de
 qua vid. *Blum. t. 65. §. 41.*) præcedens, commodissimum
 erit tempus. Sententiæ verò & decreta possunt quovis
 tempore (exceptis feriis, de quibus vid. *id. Blum. t. 62.*)
 sollicitari; quamvis & hic dies diem opportunitate su-
 peret. *Schvannemannus d. l.* dicit, quòd, quando decre-
 tum aliquod sollicitandum venit in Cancellaria, audita
 C 3 decima

decimâ antemeridianâ, & tertiâ pomeridianâ illud fieri
 debeat; & *Blunius d.l. §. 55.* tradit, quod Procuratores
 decreta, commissiones, dilationes, aliosque processus
 maturè sollicitare habeant. *Add. Scipio in Comp. Iur. Cam.
 Imp sub voce: processuum sollicitatio. Denaisius sub ead. voce.* Sic
 ut autem hæc sine dubio tantum intelligenda sunt de
 Procuratoribus, ita quoad sollicitatores missos notari me
 retur, quòd vi *decreti comm. d. A. 1654. d. 13. Dec. §. 8.* tunc
 temporis sit sollicitandum, quando Dn. Judex, Vicarius,
 & Adseffores in Senatum eunt. Quoniam autem à d. 1.
 Nov. inclusivè usque ad 1. Febr. exclusivè, ut & in feriis
 canicularibus hora octava, reliquo tempore verò hora
 septimana isthuc iri solet *Blunius in P. C. t. 59. §. 19.* id
 circò observant sedulò has horas diligentes sollicitatores,
 paulò antè in ædibus Dnn. Præsidentum & Adsefforum se
 sistunt, desideria sua proponunt, & auxilium promptum
 flagrantissimè petunt. Senatus consiliò finitò comitan
 tur interdum, tanquam fidi Achates Dn. Adseffores vel
 maximè invitos, usque ad ædes eorum, vel etiam ibi ex
 pectantes hos redeuntes ex senatu porrectione schedu
 larum toties excipiunt, quoties ob temporis matutini
 penuriam, plures invisere non licuit. Ecce horas illas
 sollicitatoribus observandas! quarum posterior praxi
 quàm legibus magis conveniens est. Annon alio adhuc
 tempore peragi possit sollicitatura, quæstionis est? Pau
 cis respondeo: vulgus sollicitatorum solito inservire te
 netur tempori. Quod sitamen sollicitator in magno ho
 noris sit constitutus fastigio, aut alia quædam ad sit ratio
 prægnans, non video, quare alio tempore illi
 non indulgeri possit licitus accessus. Agitur hiò de jure
 Dnn. Adsefforum, cui, si velint, renunciare valebunt.
 arg.



arg. l. si quis in conscribendo C. de Pact. Nec tamen sufficit maturè & opportuno hæctenus sollicitasse tempore. Necessè est, ut procuratores sollicitata & expedita in Cancellaria citò quoque redimant *Concept. P. I. t. 36. §. 2. Decret. comm. d. A. 1637. d. 6. Jul. & 12. dec. d. A. 1669. d. 17. Aug. Add. Scipio in Comp. Jur. Cam. sub voce processuum sollicitatio, & sub voce: officium procuratorum erga Cancellariam p. 532.* Quod si verò in illis redimendis negligentes fuerint, poterunt per servum Cancellariæ admoneri & intra 14. dierum spatium à iudice C. ad id compelli *Scipio dictò ult. l. Concept. t. 36. §. 3. decr. Com. d. A. 1640. d. 15. Maj. Add. Blumius t. 10. §. 55. seq. nisi velint, ut expirent. Denaisius p. 551. & ipsi mulctentur. Idem sub voce: pæna procuratorum p. 544.* (3) Requiritur, ut sollicitatio fiat modestè, adeò, ut etiam Procuratores in sollicitando ante Cancellariam se gerere debeant modestos atque moderatos *Concept. P. I. t. 36 §. 10. Blumius in P. C. t. 10. §. 62.* ita enim habent verba textûs: Die Procuratoren sollen sich auch im sollicitiren bescheidenlich erzeigen auch Berwalther und Cansley Personen mit ungestümmen Worten nicht anfahren *Add. Scipio in Comp. Jur. Cam. sub voce: officium procuratorum erga Cancellariam & Denaisius sub voce: Cameralium pæna p. 53. n. 5.* Et hoc postulat non tantum reverentia, quam Dnn. Adfessoribus debent sollicitantes, sed & idem horum exigit utilitas. Modestos diu diligunt, & oderunt improbos, inquit *Cicero.* (4) Non debet esse nimia per *decret. Comm. d. A. 1659. d. 13. dec. §. 8.* Alias ex merito id sollicitator auferet responsi: Der Herr muß nicht alle Tag kommen / man hat noch mehr zu thun. Præterquam enim quòd in aliis causis crebra sollicitatio non careat dolò *Meichsne-*

rus Decis. Cam. T. 2. L. 1. dec. 4. n. 75. insuper & hinc locum
 habet illud vulgatissimum: omne nimium vertitur in
 vitium. Id tamen allegato permissum est decreto, ut me-
 moriale aliquod pro acceleranda sententia per interval-
 la unius mensis, duarum septimanarum, aut maximè o-
 cto dierum, semel Judici eiusve Vicario ab ipsis litigan-
 tibus, vel eorum Procuratoribus porrigatur. *Add. Blumius*
1.64 §.73. (5) Quando in scriptis sollicitatur, requiritur,
 ut memorialia rectè sint concepta, inibique expressum,
 quo tempore fuerit submissum in actis, & si hoc factum,
 an ad definitivam, an verò ad interlocutoriam & quidem
 super quo puncto, quæque sint merita causæ, paucissi-
 mis verbis indicetur, (tantum enim abest, ut horum
 prolixitas prolixum quoque semper producat effectum,
 ut potiùs illa fastidiatur, & nauseam generet eiusmodi
 opus argumentosum perlegendi) quò Dn. Judex aut Dnn.
 Assessores, hujus vel illius causæ acta penes se habentes,
 admoneri possint. *Concept. P. 1. t. 34. §. 12. Ord. Cam. d. An.*
1548 & 1555. Part. 1. t. 22. Add. Blum. d. l. Petrus Mindanus de
Processibus &c. L. 1. c. 12. num. 4. p. 84. Gylmann. Tom. 3. sym-
phorem. sub voce: supplicationes p. 324. Eiusmodi memoria-
 lium formulas vide sis apud eund. *Blumium in supplicatio-*
nibus Cameralibus t. 18. num. 88. seqq. Et quamvis aliàs
 supplicationes extrajudicialiter traditæ judicialiter ge-
 richtlich/ sive ad iudicium remitti soleant per decretum;
 exceptio tamen est in supplicationibus pro maturanda
 sententia *Concept. P. 1. t. 34. §. 11.* in his enim remissioni non
 est locus. *Blumius 1.64 §. 72.* Hæc memorialia plerumque
 exhibentur tantum Dn. Judici, Dnn. Præsibus, & ho-
 rum absentium Vicario. Dnn. Assessoribus contra com-
 muniter porriguntur schedulæ sollicitationis, die solici-
 cir-

ter Zettel / quæ præter rubricam causæ sæpè nihil contin-
nent, & concipiuntur ac subscribuntur interdum à Pro-
curatoribus, interdum verò à solicatoribus. Ut labo-
ri parcatur, solent non nunquam typis exseribi, & horâ
locoque solitis inter Dnn. Assessores distribui, E. G.

In Sachen
von Hauß Bergen

contra

von Mühlen

Mandati arresti S. C.

bittet auff einkommene duplic
in puncto cassationis mandati

Die Urtheil gnädigst zu befördern.

N. N.

Vel etiam, si mavis, petitum potest in altera facie pa-
ginæ scribi, additis adhuc aliquot emphaticis vocabulis.
Prætereâ sollicitantes, causæ bonitate nixi, solent quoque
facti speciem, vel manu exaratam, vel etiam typis excu-
sam, in Camera distribuere, ut cuius de justitia causæ
constet. Imò ipsi libelli interdum imprimuntur, quem-
admodum ejusmodi libellus nullitatum & iniquita-
tum summarius doctè & scitè elaboratus extat in causa
Baronissæ à Gemmingen contra Baronissam à Quad.
Neutrum suò caret effectu. In specie quod (6) attesta-
tiones spectat, illarum copiar per schedulas, die, mense,
& annò factæ exhibitionis signatas sollicitari debent, ut
moræ accusati procuratores se purgare queant *Memo-
riale Visitat. d. A. 1576. §. ob auch Schwannemannus in Pro-
cess. Cam. c. 47. L. 1. n. 3. p. 263. & cap. 46. num. 63. decret.
comm. d. A. 1593. d. 13. dec. §. 3. Gylmann Tom. 3. Symphor.
sub voce attestaciones. conf. Scipio in Compend. Jur. Cam. p. m.*

D

599.

599. Et hanc copiarum petitionem hodiè non esse abrogatam, videre licet ex *Blumii Process. Caxi. t. 73. §. 101.* Cæterùm verbis patheticis, emphaticis tamen, ac pondus quoddam habentibus, & insimul submissis opus est sollicitatori. Gravius erit unum verbum ad rem, quàm centum illi non benè accommodata. Urgenda est summa Principalis calamitas, quò per iniquitatem adversarii redactus, & quantum damni sit passurus, nisi citò citius lis finiatur, apprimè benè docendum, subjunctò petitò legali. Pecuniâ hîc aliquid extorquere non licet. Supremum hoc Cameræ imperialis dicasterium semper incorruptissimum fuit, adeò ut etiam *Parthenius Litigiosus L. 1. c. 12. n. 14.* in hæc verba erumpat: *Vtinam omnia essent!* ad alia judicia nimirum respiciens. Acheronta hîc possunt flecti, non verò superi h. e. Vir injustus se corrumpi patitur, justus verò semper idem est. Antequam paragraphum hunc mitto, id coronidis loco obiter adhuc notari meretur, quòd, si aliquis sollicitantium voti sui damnatus fuerit, non abeundum sit insalutatis Dnn. Assessoribus atque Præsidentibus. Nec enim satis est hætenus infestasse eos. Merentur id honoris atque reverentiæ, ut singulis valedicatur & gratiæ habeantur.

§. VII.

Finis.

Omnis agens certum sibi præfixum habet finem. Si hic bonus est, etiam actio (cæteris scil. requisitis accidentibus cæterisque paribus) bona erit, sin malus, actio quoque talis sit, necesse est; actiones enim voluntas & propositum distinguit *arg. l. respiciendum u. §. pen. ff. d. Pen.* Oportet igitur & sollicitatorem actionem suam ad certum dirigere finem, qui regulariter est celerior expeditio processus. Quemadmodum autem intentio hæc nihil

hil in se continet mali ; ita quoque sollicitatio, hac ratio-
 ne considerata, non potest non esse res bona. Observari
 tamen insimul vellem, quòd h. l. non quivis intelligatur
 finis, sed tantum principalis, de quo *vid. Hartung. Metaph.*
Jurid. c. 8. §. 7. p. m. 303. Negari enim non potest, quin
 sollicitantes præter hunc finem adhuc aliud quid interdum
 intendant. Ast hoc non tam finis quàm potius
 scopi nomine venit *arg. eorum quæ habet Pott in Dial. Juris. p.*
4. Q. 6. & plerumque sollicitationem reddit vitiosam.
 Dum autem dixi intentionem bonam *cæteris paribus* pro-
 ducere quoque actionem bonam, tacitè removi omnia
 media illicita, quibus celerantur & abbreviantur lites,
 quæcunque etiam illa sint. Quòd si sollicitantes nihilo-
 minus impias fabricent cautelas, sollicitatio evadit mala,
 ut ut intentio fortè sit bona. Et tunc *suò modò*, de illis af-
 firmari possunt, quæ habet *Parthenius Litigiosus L. 1. c. 9.*
§. 33. cujus verba, quoniam non in omnium est manibus,
 hîc libet subicere. *Accedunt & succedunt procuratoribus ad*
lites institores litium, vulgò sollicitatores dicti, quòd promo-
veant, sollicitent, & accelerent lites, uti mercatorum factores ne-
gotiorum, quorum magna copia imprimis Spira, Praga, Parisiis &
Roma, qui diplomatum expeditioni operam præstant. Octav. Ve-
strio L. 2. introd. in Aul. Rom. cap. 20. dicuntur Janizeri.
Et quidem mera & vera sunt judicium corruptela, auctores in ver-
tendarum litium, & impii cautelarum architecti, imò consiliorum
inquisitores & detectores, ut mirum hodiè non sit, si consilia impe-
rii non sortiantur optimum finem. Sunt enim juxta Imperato-
rem aut Regem, ut ait Petr. Greg. Tholos. L. 49. Syntagm. c. 5.
n. 12. tot muscæ, sollicitatores dico, & nihili aulici homines, hi-
rudines litigantium, qui intellecta renunciant & rescribunt, ut

ante exitum ab impiis hominibus praeveniantur. Sunt & alii
litium institores, harpyae quaedam, qui saepe devorant salaria pro-
curatorum attentando vel eludendo, quae muneris illorum, ut sibi
lucrum reservent & lites in infinitum protelent. Haecenus

e *Parthenius Litigiosus.* Junge hisce, si placet, ver-
ba sequentia *Magenhorstii in Obs. Cam. 79.* reperienda: ho-
mines sunt (sc. sollicitatores) artificiosi juxta ac falsi, Deo, ho-
minibus, justitiae infensi, iudicis proditores, ultimus diaboli abor-
tivus foetus, quinta essentia humana protervia, nequitia, menda-
ciorum, corruptionum, scelerum, divini humanique juris excidi-
um &c. Possunt & haec aliquo modo quadrare ad remo-
ratores & interpellatores, qui manibus pedibusque cau-
sas impediunt & quibusvis modis cohibere student, ut
ipse *Magenhorst* quoque d. l. se se explicat. Horum enim
finis non est promovere justitiam, sed eam protrahere, si
non plane intervertere. Studio dixi; posse haec certo
modo de nostris praediciari sollicitatoribus peccantibus.
Neque enim credo ejusmodi malum, prout haecenus
depictus est, dari hominem, nisi ex ipsa compositus esset
malitia. Hoc dubium restat adhuc resolvendum. Ni-
mirum posset aliquis quaerere: quomodo possibile est, ut
in Camera finem hunc obtineamus, causasque nostras
promoveamus, cum tamen sine dubio causae veteriores,
tanquam privilegiatae, expediri debeant praevioribus?
arg. Concept. r. 12. §. 3. Sed resp. verum hoc est, si in utra-
que causa aequè valdè sollicitetur: quod si vero veterio-
res causae per aliquot annos non sollicitarentur, novae au-
tem subinde urgerentur, his illae postponendae venirent
arg. ejusd. textus §. 4. Conf. Blum. r. 73. §. 13. Ratio est in-
promtu, quia sic praesumit Iudex, quod minus urgeat
illa

illa veterior quàm novior causa, sive quod veterior non
 conjuncta sit cum tanto periculo moræ, uti nova. No-
 tent hoc illi cautelæ loco, qui sine omni sollicitatione
 causam peragi posse in Camera, falsò persuasi sunt. Lu-
 culenti exempli loco nobis inservire potest casus in alle-
 gato textu expressè positus, & cujus suprâ §. 5. debuisset
 fieri mentio. Scilicet concurrunt duæ causæ, vetus &
 nova; in illa perita quidem olim distributio actorum, sed
 hætenus tamen sollicitata non fuit; in hac verò instan-
 tissimè illa sollicitatur. Quæstio nunc exsurgit, cujus causæ
 acta sint distribuenda? Et rectè respondetur ex §. 4. di-
 citi textus, præferenda esse hoc casu novæ causæ acta ve-
 terioris causæ actis. Et tantum quoque de fine, & se-
 cunda nostræ dissertationis parte.

PARS III.

De effectu sollicitatorum camerarum & modis finiendi sollicituram.

§. I.

Effectum h. l. sumimus pro causato vid. *Metaph. Hartung. d. c. II. §. 7. & c. 6. §. 8.* Variæ ejus sunt divisio-
 nes. Brevitatis studio hîc illam tantum divisionem, quæ
 effectus est vel per se vel per accidens talis, *Hartung. d. c. II. §. II.* nostram faciemus, & effectum, per accidens di-
 ctum, rursus subdividemus in positivum & negativum.
 Primò dispiciamus de effectu per se tali, qui est celerior
 causæ controversæ decisio. Opponis: atqui sic con-
 funditur finis cum effectu. Respondemus: Quatenus
 sollicitator tendit ad accelerandam litem, catenus est
 finis, quatenus verò acceleratio litis est obtenta, catenus

est effectus vid. Schilteri Analytica p. m. 193. & pag. 232.
 Hoc autem non ita accipiendum, quasi semper voti sui
 compotes fierent sollicitatores, non! (ob multitudinem
 enim causarum sæpiùs abeunt, uti venêre) sed, quòd ef-
 fectus per se, si à sollicitatore, ceu causa efficiente, pro-
 ducitur, ex intentione ejus producat, alter verò scil.
 per accidens talis, præter ejus intentionem accidat. Ad
 effectum hunc posteriorem, & quidem positivum refe-
 ro (1) quòd sollicitatores gaudeant securitate, protectio-
 ne & salvò conductu *Concepe. P. 1. t. 63. num. 4. Ordin. Cam.*
d. A. 1548. 1555. P. 1. t. 49. Ord. Cam. d. dato Worms 1495.
sub titulo: Wo das Cammergericht gehalten werden sol-
le. Denaisius sub voce: camera immunitas p. 61. Almers Ma-
nuale juris sub voce: camera num. 20. Blumiùs in Proc. Camer.
t. 22. §. 2. Roding in ff. Jur. Cam. L. 4. t. 15. p. m. 1004. ab initio.
 Hic tamen salvus conductus non datur à Camera, nisi
 in casibus, quando ipsa ordinatio eum concedit zu denen
 Rechten / h. e. ut *Gylmann. Tom. 3. symphorematum sub voce:*
salvus conductus p. m. 310. id explicat, ad ventilandam
 causam suam in judicio cameræ; sed quando judex fun-
 ctus est officiò suò, non amplius potest parti dare salvum
 conductum. *Add. Magenhorst. ad Ordin. Cam. P. 1. t. 49. n. 13.*
 Sic alicui Judææ, quæ sollicitationis ergò Wetzlaræ
 commoratur, contra Magistratum oppidanum, qui eam
 ferre volebat, dicitur concessus esse salvus conductus
 (1) in forma communi & (2) in optima forma, cujusmo-
 di formulam vide apud *Blumiù in supplicat. Cam. p. 423. 426.*
 & 667. Quid verò si hòc non obstante, violaretur salvus
 conductus? Putat *B. Brunnemannus* violatorem arbitra-
 riè esse puniendum vid. *Comment. ejus ad Cod. L. 1. t. 12. l. 5.*
num. ult. Althusius autem in Dicaologica L. 1. c. 131. n. 31. p. m.

471. existimat, in eum ultimò animadvertendum esse supplicio. Istius sententia sine dubio verior est. (2) Solicitatores subsunt Jurisdictioni camerale *Roding. in ff. 7. C. t. 4. n. 26. & 28. L. 1. Almers Manuale Jur. d. l. Blumius d. l. t. 26. n. 5. Ord. Cam. d. A. 1548. d. l. ibi: auch in andern Gerichts Zwang / Mynsing. Obs. 52. cent. 5. n. 2. & 3. Gailius L. 1. obs. 1. n. 38.* modo tamen, si immediati sint, distinguatur inter actiones, quæ contra eosdem, tanquam membra imperii immediata, austregis gaudentia, instituendæ, & quæ contra illos, tanquam personas camerales competunt, vid. *Blum. in P. C. t. 26. §. 25.* Aliud quoque dicendum existimo de ablegatis Principum, de quibus mox plura. Interim hætenus dicta cum grano salis sunt accipienda, & eatenus restringenda, quatenus sollicitatores nomina sua professi fuerint apud Judicem Cameræ, & illa matriculæ quoque inseri curaverint *per decret. Com. d. Ann. 1563. d. 18. Jun. & d. A. 1659. d. 22. April. Blum. d. l. t. 22. n. 2. Denaisius in Jure Camer. sub voce album Camera p. 25.* Quamvis observantia (quod hoc attinet) quæ optima Legum interpretes dicitur *l. 37. ff. d. LL. Barbosa in The- sauro Locupl. sub voce: observantia axiom. 1. Excell. Stryk. in int. Cont. c. 1. §. 11. p. 13.* in contrarium fortè sit. Quid juris autem est, quando sollicitaturam gerendam in se suscipit civis illius loci, ubi Camera imperialis suam habet sedem, an & hic subditus fit cameræ? N. Si enim sollicitantes, hætenus immatriculati, hõc ipsò amplius non tolerantur in matricula, sed Magistratui oppidano indicantur, dum domicilium in loco, ubi Camera est, fixum sibi ponunt, oder eigenen Rauch halten wollen *Gylman. Tom. 3. Symphor. sub voce: Practicanten und Par- theyen p. m. 270.* multò minus cives sollicitaturis se libe-
rabunt

rabunt à Iuditione magistratûs sui ordinarii, quia hoc fa-
 cerent sine dubio immunitatis, rerumque privatarum
 causa. *Add. Denaisius d. l. Concept. P. 1. t. 63. § 8. Memor.
 jud. & Asses. 13. Maj. 70. §. weiters fin.* atque sic habitatio-
 num pretia crescerent, & aliis personis cameralibus ad-
 imeretur commoditas subsistendi. *Concept. d. l.* Et qui-
 dem sollicitantes Camerae imperiali subditi sunt in causis
 civilibus, & actionibus personalibus ibi conveni-
 ri possunt, *Vigelius in methodo Observat. Cam. L. 2. c. 2. p. m.
 124. in f.* (an autem data exceptio quadret ad regulam
 p. 102. ab ipso positam, judicent alii) sive sint ex facto li-
 cito, sive illicito, *Mynsing. cent. 5. ob. 52. n. 1. 2. & 3.* sive
 obligatio contracta sit in loco camerae, sive in urbe, sive
 in suburbiis, *Tennagel de decernendis Processibus c. 6. p. m. 542.
 n. 1. Blumius t. 26. §. 6.* quemadmodum præjudicium ali-
 quod affert idem *Mynsinger. d. l. Roding. in ff. Iur. Cam. d. l.
 de filio quodam, qui jam recessurus extra urbem apud
 currus meritorios viderat parentis sui adversarium, hunc-
 que gravissimis affecerat injuriis, & nihilominus con-
 ventus fuerat in Camera, Tennagel. de decernendis Processi-
 bus c. 6. p. 542.* Idem tradit de iudicio aulico *Knipschilt de
 Priv. Civit. Imp. L. 2. c. 33. n. 22.* Quod autem in specie at-
 tinet actiones ex delicto, illud, quod dictum, non proce-
 dit, quando agitur criminaliter *Mynsing. d. l. n. 4.* & qui-
 dem ad pœnam aliquam corporalem, hoc enim casu de-
 linquens magistratui loci traditur, etiamsi propter
 delictum alibi commissum, captus sit in Camera, prout
 aliud præjudicium idem *Mynsing.* habet c. l. in causa
Gottharten Müller contra **Ad** *Addat. Roding. d. l. &
 Magenhorst in Ord. Cam. P. 1. t. 49. n. 12.* Quando verò
 causa ventilatur injuriarum, tunc distinguito ita: aut illi
 sunt

sunt tantum verbales & reales modicæ, & sic eas iudex extrajudiciali cognitione, & inquisitione ex officio habitâ decidit, noxios pro rei qualitate vel carceri mancipando vel multâ coërcendo, aut atrociores sunt, & sic, si transigi de illis nequeat, juris ordini remittuntur. *Denaisius sub voce: Cameralium injuria p. 64.* Plerumque tamen denominantur ex Procuratoribus Commissarii, causæ cognitionem instituturi. Quid autem, si sollicitator citatus à Commissariis sit cum iis in pari dignitate constitutus, & provocet ad *l. ad personas egregias 15. ff. de jurejurando?* Nisi in honorem Judicis committentis comparere teneatur, puto eum emanere posse. Quicquid hujus rei sit, in causa civili non mox decernitur citatio, sed extrajudicialiter informatio, vulgò **Gegegenbericht** injungitur personæ camerali, & si quidem res liquida, & plana est, mandatum solvendi extrajudicialiter decerni solet; si res est dubia & controversa, plerumque tentatur amicalis compositio, quâ demum desperatâ ad citationem decernendam (in causis sc. valdè arduis) devenitur, inquit *Tennagel de Process. decernend. d. l.* Porro jurisdictionem, quam Camera in sollicitantes exercet, restringunt ad casum, ubi conveniendus tempore instituendæ actionis, ex contractu vel delicto ortæ, ibidem quoque reperitur. *Blumius t. 26. §. 6.* quia hodiè nemo in loco contractûs suum fortitur forum, nisi & ibidem deprehendatur *Gailius 2. ob. 36. n. 14. Blumius d. l. Lauterb. in Compend. p. m. 102. in med. Dn. Stryk. Introd. ad Prax. c. 1. §. ult. p. 16. Vmmius disp. 4. n. 5. Process. judic. Add. Thulemarius P. 2. Relat. 7. n. 21. p. 209. seqq.* Secus est de jure civili *vid. Sonnemannus ad l. 21. ff. de Ob. & A.* Quid autem rationis subsit, quòd sollicitatores non quâlibet actione in Cam. conveniri

E

queant,

queant, facile hariolari possumus, nimirum quòd ibi domicilium non constituent, sed tanquam discessuri degant *Blumius t. 25. §. 7.* Unde etiam suâ sponte sequitur, quòd, si aliâ actione, quàm quæ alioquin de jure communi contra reum, ubicunque terrarum etiam deprehendatur, institui potest, sollicitatores in camera conveniantur, jus revocandi domum habeant *Blumius d. l. Dn. Joh. Sarr. Brunner in dissert. inaug. de Judiciis Cam. cum aulico collatione §. 8. p. 21.* ut ut jus hoc olim specialissimum fuerit & legatis tantum competens, vid. *l. 1. 2. §. 3. ff. de iud. Petrus de Greve Exercit. ff. 7. n. 4. Kulpis de Legationibus Stat. c. 21. §. 16. Fredericus de Marselaer de Legato L. 2. diss. 14. p. m. 371. & Oledendorpius in syllog. Except. p. m. 103.* Quando autem suprâ diximus sollicitatorem, ob delictum commissum, corporali pœnâ afficiendum, tradi debere senatui oppidano, id ulterius declarandum & ita habendum: scilicet quando sollicitatorum quidam patrat aliquod crimen, Magistratus loci ordinarius noxium quidem illicò prehendere potest, sed tradere tamen eum collegio cameralei debet per *Ord. Cam. d. A. 1495. sub. rub. wo das Cammergericht gehalten werden soll Tennagel de Processibus decernendis c. 6. p. m. 542.* utpote quod in carcerem (quem mansionem malam appellat *Ayrer in Proc. Hist. jur. P. 2. c. 6. ob. 6. n. 21*) ad id à Senatu oppidano concessum eum conjicere, & pœnam quoque dignam toties ab eo repetere potest, quoties illa corporis non est afflictiva. *Scipio in Comp. Jur. Cam. sub voce: Jurisdictio camera p. 497. Denaisius sub voce: camerarium pœnæ n. 4 p. 65. Blumius t. 24. §. 41. Gylmann in Symphor. Supplic. P. 2. tit. 18. vot. 2. n. 36. in causa homicidii G. B. L. und seines Dieners contra H. A. S. occisum, ubi dicit, quod etiam Camerae jus capturae competat. Conf.*

Tennagel

Tennagel d. l. n. 3. Ergò à contrario sensu exinde fluit, quòd, si pœna sit dictanda capitalis aut alia, quæ affligit corpus, Collegium Camerale post institutam diligentem inquisitionem, delinquentem committere debeat Magistratui oppidano *Concept P. 1. r. 46. §. 23. Ord. Cam. d. A. 1495. d. l. Blomius d. l.* ubi enim incipit pœna corporis **Leibstraf** / ibi desinit Jurisdictio Camerae, inquit *Gylmann d. l. n. 36.* ubi tamen insimul distinguit, & hoc admittit, si dubium sit, sive notoriè non constet, quod crimen fuerit commissum: nam si id notorium, **oder sich sonst auß redlichen Ursachen befunde / daß** commissum crimen eine Leibstraf erheische remissionem vult fieri debere, cum plena cognitione super infligenda pœna & ejus executione *Id. d. l.* quia sic ordinatio esset clara, secus atque illò casu, propter verbum *notoriè*, quia sic Jurisdictio Senatus videtur esse restricta ad casum, de quo vel notoriè vel ex aliis legitimis indicis satis constat, quòd mereatur corporis afflictivam. *Id. d. l.* ubi prolixius de hac re per aliquot actum paginas. Huic adstipulatur *Scipio in Comp. Jur. C. sub voce: Jurisdictio cam. Imp. pag. 497.* ubi ita habet: *si corporali pœnâ crimen plectendum vel notorium, vel præviâ Camerae inquisitione certis ex indicis liquidum exploratumque sit, tum reum magistratus urbico puniendum exequendumq; remittunt.* *Add. Denaisius d. l.* Fundatâ itaq; Jurisdictione Camerae Imp. ratione sollicitatorum, consequens est, ut sinant se per pedellum quoque citari, quia omnes camerales per eund. convocantur. *Denaisius sub voce: pedelli officium p. 256.* Hæc, quæ hætenus dicta, satis plana & expedita esse videntur. Quid autem juris est, quando Principum imperii aliquis civem quendam illius loci, ubi Camera sedem suam habet, constituat re-

fidentem, eum in finem, ut non tantum vices alicujus
 gerat sollicitatoris, sed & insimul Principalis sui respiciat
 utilitatem, an sic exemptus est ab ordinarii Magistratûs
 loci Jurisdictione? Mihi sic videtur: Quoniam hodiè
 omnibus imperii Principibus jus mittendi legatos asse-
 ritur ac vendicatur, *Dn. Coccejus in Jurispub. prud. c. 23. §. 34.*
Dn. à Kulpis, in Tract. de Legationibus Statuum Imp. per tot.
Schvvederus in Introd. in jus publ. P. Spec. Sect. 1. c. 28. §. 5. p.
455. inf. nullus in affirmanda quæstione hæreo, distin-
guens tamen inter Agentes & Residentes, quos confun-
dere videntur Marselaer de Legat. L. 1. diff. 2. p. m. 8. B. Dn.
Lauterb. in dissert. de Nuncio p. 41. §. 5. & è contrario rectè
omniñò discernit invicem Dn. Coccejus d. l. §. 36. p. m. 372.
Dn. à Kulpis d. l. c. 3. §. 3. p. 40. Almers in Max. Jur. sub voce:
legatus n. 28 & 26. Agentes sunt tantum negotiorum ge-
stores, & communiter ita hodiè appellantur quoque Pro-
curatores, quando Statuum imp. causas gerunt vid. Bes-
foldus in Thesaurò Practico sub voce: Agenten. Imò & Nobiles
immediatos, ut singulos, Procuratores suos titulò insi-
gnire Agentium, anima dvertere mihi licuit. De ejusmodi
Agentibus quæstionem nolo intellectam, sed loquor de
officialibus illis, qui legatorum perpetuorum jus sibi
tribuunt, & literis instructi sunt credentialibus. Quoad
hos tantum affirmo quæstionem, ductus rationibus, quas
affert VVicquefort dans son Ambassadeur prioribus capitibus.
Addi quoque potest Dn. à Kulpis d. l. c. 21. §. 3. p. m. 586.
 Sed ulterius quæritur, an ejusmodi civis ordinariâ Ju-
 risdictione exemptus, æquè ac alius sollicitator subje-
 ctus sit Camerae, an verò jus habeat prevocandi ad Prin-
 cipem? Nullus dubito asserere, quòd si in continenti se
 legitime queat, Camerae Jurisdictionem declinare &
 ad

ad Principalem suum provocare possit. Obstat quidem quod habet *Dn. à Kulpis d. l. c. 9. §. 17.* & *Dn. Lynckerus in allegata ab eo dissertatione de Commissar. imperial. §. 3.* Status nempe ad *Cammer-Richter und Beysitzer* propriè non mittere posse legatos, eapropter, quia ipsi Assessores Statuum dici solent legati, horumque jura sibi vendicant; sed dubium hoc facilè videtur dissipari & dilui posse, dummodò distinguatur inter *Dnn. Assessores* sigillatim & collegialiter consideratos. Illò casu ad *Cammeram* non posse mitti legatos, propriè sic dictos, libens libensque concedo; hòc verò illud citra absurditatem fieri posse affirmo, cum primis quia *Judex Cameræ* plerumque est Princeps imperii, ad quem literæ dirigi solent credentiales. Accedunt verba *Ordin. Camer. P. I. t. 10. §. 26.* ubi illis, qui à Statibus mittuntur, appellatio *Botschafften und Gesandten* exsertim tribuitur. Conferri hanc in rem meretur *Dn. à Kulpis d. l. c. 15. §. 9. p. m. 455.* ubi rectè monet ex prædicta ordinatione, legatos Statuum ad *Cammeram*, missos in rebus, gravioris momenti publicè & in pleno audiendos esse confessu, quod non parùm probabilem nostram reddit assertionem. Dissentit *Besoldus in Tract. de Legatis eorumq. jure c. 2. num. 6 & seq. conf. ejus Thesaurus Pract. sub voce: Argenten.* *Dn. Johann. Sam. Brunneri dissert. inaug. de Judicii Camer. cum aulico collatione §. 8. p. 21.* Id obstare graviter adhuc videtur, quòd Residentes sint sollicitatores, sollicitatores dicantur personæ *Camerales*, hæ verò subjiciantur *Camerae*. Verùm enim verò respondemus: utut Residentes in effectu plerumque sint sollicitatores, non respici tamen debent ut tales, sed ut legati, & hinc solati sunt jurisdictione *camerali*. Nec obest huic, quòd supra

P. I. §. 4. Residentes relati fuerint inter sollicitatores: ad hoc enim regerimus, ibi varias divisionum datas esse species, etiam æquivoci in sua æquivocata. De collectis personarum cameralium, ratione rerum immobilium sub Jurisdictione Magistratûs loci sitarum, vid. *Gylmann, Tom. 3. Symphor. sub voce: Cameralis persona p. m. 63.* Videtur tamen ibi sermo tantum esse de personis cameralibus propriè sic dictis. (3) Ad effectum per accidens refero querelas, quòd sollicitatores teneantur magnos facere sumtus, multumque impendere pecuniæ. Omnia quam plurimò veneunt Wetzlaræ. Hospitiolis jam tùm carè statuitur locarium, quod non potest non augeri aucto magis numero Dn. Assessorum & Forensium. Annanam graviolem reddunt non multum distitæ isthinc civitates. Æstimatio lignorum dependet à rustico discrimen nesciente. Carius est vinum, quàm ut à multis redimi queat pretio & tamen sollicitator eo carere vix poterit. Alias impensas, majores vel minores, v. g. in longum iter erogandas, impræsentiarum reticebo, & id tantum quæram, utrum sumtus in sollicitaturam factos à victo repetere possit victor? Sanè non est de nihilo, sed magni utique momenti quæstio, & quæ aliquot annos durante sollicitaturâ, magnam vim concernere potest pecuniæ. Silent hîc nihilo secius Leges, silent quoque Autores Camerales omnes, quos mihi evolve-re hætenus licuit. Re accuratori mentis trutinâ secundum naturalem æquitatem pensitatâ, ita videtur statuendum: aut sollicitatio fuit ita necessaria, ut sine illa promptam expeditionem causæ obtinere nullatenus licuerit, aut talis non fuit. Posteriori casu expensæ in sollicitaturam factæ pro nullis reputantur, nec victus

cas

eas restituere tenetur. Priori casu subdistinguo expen-
 sas in eas, sine quibus sollicitatura potuit expediri vel
 non. Illas, sine quibus commodè sollicitari potuisset,
 ut ut factæ non fuissent, e. g. quando sollicitator mul-
 tum pecuniæ insumit in deliciores potus atque cibos,
 aut lautiori utitur mensâ, quàm conditio ejus id exigat,
 oder auch in denen Wirtshäusern auff seines Gegen-
 theils Unkosten rechtschaffen loßzehren wolte / expensis
 annuero voluntariis, quarum rationem habere neuti-
 quam debet judex *Gail. L. 1. ob. 152. n. 1. & II.* & ad quas
 restituendas non condemnari poterit victus, in quan-
 tum nimirum immodicæ sunt. Has verò, sine quibus
 sollicitatura geri non potuit, puto utique resarciendas
 esse, si specialiter fuerint petitæ, nec victus justam ha-
 buerit causam litigandi *Conf. Dn. Hoppius in Comment. Insti-
 tit. de Pœna tem. lit. §. 1. p. 1258.* nisi quoque & adversa-
 rius magis causæ expeditionem flagitasset quàm impedi-
 visset, nec temerarius fuisset litigator, sic enim rursus
 aliud dicendum foret. Et hæc argumento eorum ni-
 tuntur, quæ habet *Hartmannus Pistoris in Observat. Sing.
 ob. 139. ubi numero 1. tradit*, expensarum appellatio-
 ne venire non solum expensas litis, sed & sumtus factos
in hospitio, ita tamen, ut deducatur id, quod ve-
 risimiliter quis domi existens, insumsisset. *Alexander.
 conf. 27. num. 28. Vol. 2.* Quomodo autem probari
 possint expensæ, vid. *Marcellus Cala de articulandi & probandi
 modo p. m. 411. n. 933.* Equidem *Gailius L. 1. ob. 152. n. 1.
 usque ad II.* vult, necessarias judiciales tantum expensas
 debere taxari, non verò delicatas & voluntarias:
 Enimverò rationes, quas adducit, id tantum suadent,

ut

ut ne immoderatæ cujusque luxuriæ habeatur ratio, quod utrâque, quod dicitur, concedimus manu. Loquimur enim de impensis, sine quibus sollicitaturâ commodè quis defungi non potest. Dicis: sunt tamen voluntariæ, imputet ergò sollicitator sibi, quòd eas suâ fecerit sponte. Respondemus: hoc esse id, quod negamus, utpote supponentes casum, ubi adeò est necessaria sollicitatura assidua, ut sine ea difficulter aliquid ob pluralitatem causarum obtineri possit in Camera. Regeris: hæc assertio crimini est huic supremo Judicio. Quod hoc dubium concernit, reponimus ea, quæ suprâ jam tùm fuere dicta. Nimirum postquam sollicitatio ob multitudinem causarum, permissus facta est actus, adeò ut etiam causæ novæ sollicitatæ veteribus non sollicitatis ex legali præferri debeant dispositione, non video, quomodo sententia hæc existimationem supremi hujus suggillare possit judicii. Qui suò jure utitur, nemini facit injuriam. Rapienda occasio est, quæ præbet benignius (*celerius*) responsum *l. 168. ff. d. R. 7.* Praxi interim, nisi me omnia fallunt, in Camera servatur contrarium. Confer, quæ habet *Speidelius in Speculo sub voce: Unkosten & Meichsnerus decis. Cam. tom. 3. decis. 7. p. 200. seqq. (4)* Effectui per accidens accenseo, quod sollicitator multorum expositus sit odio, imprimis autem limis aspicitur, & ægrè interdum fertur ab adversa parte & ejus Procuratore, quippe quorum consilia sæpiùs intervertit atque confundit. An proprio Procuratori semper gratus sit atque acceptus, nescio. Unde quoque *Magenhorst, sollicitatorum Panegyrista*, odiosum appellat genus hominum sollicitatores, in panegyrica sua *observ. 79.* Quod uti adhuc tolerari potest; ita reliquis scommatibus & maxi-
mis

mis injuriis, quibus in sollicitatores invecus, suum erga
 eos prodidit odium atque partium studia. Imprimis au-
 tem malè hoc ipsum habet, quod majore interdum mer-
 cede, quàm ipsi Procuratores, suam elocent operam.
 (5) Datur sollicitatori & constituenti invicem actio præ-
 scriptis verbis, quoniam procul dubio contractus inno-
 minatus hîc sibi vendicat locum arg. eorum quæ habet
Lauterb. in Comp. p. m. 399. & 392. nisi planè gratis solici-
 tator munere fungi velit sollicitaturæ: sic enim contra-
 heretur mandatum, & inde nasceretur actio mandati
Lauterb. p. m. 286. Hæc de effectu positivo per accidens.
 Paucula quædam afferemus quoque de effectu negativo
 per accidens. Huc pertinet (1) quòd sollicitantes non
 possint exercere œnopolium & alia commercia per Ord.
 Cam. de dato Worms 1495. sub rubr. *Wodas Sam-
 mer-Gericht gehalten werden soll.* (2) Quòd non pos-
 sint communem victum habere cum Dn. Judice aut ejus
 Assessoribus per ord. Cam. de A. 1500 *sub rubrica: Wo
 Sammer-Richter und Beysitzer zu Kost gehen mögen.*
Concept. P. 1. t. 29. §. 6. (3) Quòd non sint admittendi in
 familiam vel domum Dnn. Assessorum *Concept. c. l. Roding.
 in ff. Jur. Cam. L. 4. t. 4. num. 32. p. 963.* Ratio hujus est,
 quia quotidiana conversatio parit familiaritatem, hæc
 verò contemptum, & sæpiùs divulgat arcana (cùm fami-
 liarium omnia sint communia) aut minimùm divulgatio-
 nis inducit suspicionem, *vid. Memor. Jud. & Assess. 1556.
 §. Dieweil auch. 5.* Quid verò si aliquis Dnn. Assessorum
 coinhabitet ædeseasdem cum cive, qui in certa sollicitat
 causa? ἐπιχω, nisi dicere velis; textum illum loqui tan-
 tum de forensibus sollicitatoribus, aut summam necessita-
 tem, quam inducere potest ædificiorum penuria, solu-

F

cam

tam esse legibus. (4) Quòd non gaudeant omnibus immunitatibus, quibus praxeos gaudent studiosi, *Blunius in P. Cam. t. 22. §. 2. & n. 4. ac 7.* Ratio sine dubio est, quòd praxeos studiosi majori sint digni favore, quàm sollicitantes. Quid verò si concurrant in uno eodemque subjecto sollicitatura & praxeos studium? Hoc casu putamus illas immunitates extendendas, odium verò restringendum esse. (5) Quòd pauperes adeptis advocatis ac procuratoribus, iisdemque sufficienter instructis, non possint ultra sex menses *Wetzlaræ* commorari, sed hisce elapsis alibi degere teneantur, *Concept. P. 1. t. 63. §. 9.* ne Procuratoribus & Advocatis suis, continuò eos infestando, impedimento sint, eosque ab aliis negotiis avocent, nisi qualitas causæ aliud exigat, & hinc aliud quoque iudicium arbitretur camerale, *ibid. Conf. Blunius d. l. t. 64. §. 45.* necesse tamen est ut eorum Advocati & Procuratores sciant, ubi locorum vivant. *Id. d. l.* An reliquis sollicitatoribus certus statutus sit commorandi terminus, nescio. Hoc certum, quòd observantia istum ignoret, & sollicitatores abeant & redeant, quandocunque velint.

II.

Dissentanea,

Modi, quibus finitur sollicitatura, sunt mors atque contraria voluntas, temporis, quousque quis sollicitare promisit, lapsus, conditionis existentia, finis obtentus, (cessante enim fine, cessant media) adæquatus & interdum inadæquatus. Quid? quod ille, cui res angusta domi est, re etiam infectâ, suum revocabit mandatarium. Neque enim facultates cujusvis permittunt tam diu alere sollicitatorem, donec integer finitus processus, aut inadæquatus etiam obtentus fuerit finis. *Conf. qua habet B.*

Layter

Lauterbach. in Compend. t. mandati vel cont. in f. & in disput.
de procuratore substituto, vom Uffter-Anwald / cap. ult. quæ
omnia, sanâ factâ interpretatione, huc applicari pote-
runt. Et hæc sunt, quæ hâc vice pro ratione ingenii,
temporis & librorum penuriâ, commentari licuit de soli-
citoribus cameralibus. Errorem, cujus amicè ero ad-
monitus, libens lubensque corrigam, probè sciens, erra-
re cujusvis, in errore verò perseverare nullius, nisi insipi-
entis esse. Neminem lædere, dissertationem hanc con-
scribere incipiens, paraveram in animo. Spero etiam,
confore, ut nemo justam habeat de me conquerendi cau-
sam, quippe qui in opere cœpto pergens, semper mihi
temporavi ab injuria proximo inferenda. Quodsi ta-
men præter intentionem aliquid fuerit scriptum, quod
offensæ esse posset alicui, id neque dictum neque scri-
ptum habeto. Tibi DEUS ter optime ter Maxime!

sint grates gratiæque pro præstitis viribus & sacri
Flaminis auxiliatrici opera in æternum,
Amen.





Ex Jure Naturali.

- I. **A**blatio rei aliena ex necessitate facta non est furtum.
- II. Definitio juris N. ab Imperatore in pr. Instit. de J. G. & C. tradita propriè competit brutis.

Ex Jure Civ.

- III. Miror, quare non nulli Doctorem ex §. 9. Inst. de Excus. Tut. evincere velint, quòd sola imperitia literarum excuset à tutela.
- IV. Illis, qui Spira ante ejus excidium habuerunt usufructum in quibusdam aedibus, his instauratis ac reedificatis non reviviscit ususfr.
- V. Exigui pretii labor est inquirere hodiè anxius, an lex aliqua à Triboniano interpolata fuerit nec ne.
- VI. Scriptura utique est de essentia legis scripta propriè sic dicta.
- VII. Suspendii pœna propter furtum Sacra Scriptura incognita est.
- VIII. Non datur mandatum sine clausula.
- IX. Quando immediatus alterius immediati oves pignorat ob denegatum jus pascendi, quaeritur an desuper in C. Imp. decernantur processus? Videtur quòd sic.
- X. Quorsum praxeos studioso, in Camera degenti, attendendum sit in publicatione, breviter, sed utiliter exponit Gylmann Tom. 3. Symphorem. sub voce: Partheyen.

Ex

) : o : (

Ex Jure Feud.

X. *Fœmina semel exclusa, de jure feudali semper pro rali habetur.*

Ex Jure Publ.

XI. *Extinctio Electore aliquo Imperii unà cum ejus Principe hereditario non semper decisum est in Aurea B. quisnam legitimus sit successor?*

XII. *Capitulatio non est lex, utut dicatur lex fundamentalis.*

XIII. *Recens creati Nobiles non statim admittuntur ad torneamenta, & canonicatus, utut in eorum diplomatibus declarentur expressè vor Tornir- und Stifft-mässige von Adel.*

XIV. *An novus Electoratus possit introduci à solo Imperatore, ea propter, quia id in Capitulatione expressè non est prohibitum, in conflictu dicemus.*

Ex Jure Canon.

XV. *Indulgentias indistinctè non possum damnare.*

XVI. *Potest fieri ut ille omninò bonum opus faciat, qui meretricem ducit.*

XVII. *Claudicat consequentia: neuter conjugum admittit adulterium, nec deseruit, E. matrimonium debet subsistere.*



Euge

QX 11 3492

Euge bonum factum! dum sol-
licitasti coronam,
Sollicitatores explicuisti typis.

*Ex Academia Rintbeliensis hoc Fratri suo Ger-
mano gratulabundus misit*

Joh. Nicolaus Pistorius,
SS. Th. St.



Euge

N
1077



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

Kodak
LICENSED PRODUCT

KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



OSISSIMIS
MINIS

D CHRISTOPHORO
ARNER,

Serenissimæ Juventuti Saxo-
trææ à cubiculis.

ORGIO à BOYNEBURG,
go, Hereditario in Stettfeld
mannshausen &c.

D BALDUINO à VOSS,
Hereditario in Bœckel &c.

UGUSTO à BOYNEBURG,
ngo, Hereditario in Stettfeld
himannshausen.

HILIPPO à HANSTEIN,
gico, Hereditario in Bœsen-
hausen.

is Benevolentissimis,

ris literarum Emporiis Belgii æquæ
terioris curæ meæ commissa erant
que tenerrimô prolixissimôque
annum prosequor adfectu

*tionem inauguralem in benevolam
oria exantlata recordationem*

dicat

Autor,